

mentalem, ipsi alio nomine dicunt vel fictionem, vel figuram, vel dissimulationem, vel præcisionem, vel usurpationem sensus mystici, præcisi, cet. Quoad rem autem omnes nobiscum sentiunt; nec id damnatur ab Ecclesia, quæ solum prohibet restrictiones mentis proprie tales: aut si alias damnat, eas solum damnat, si proferantur sine justa causa, aut ex animo proximum decipiendi.

26. Hinc deduces sequentia. 1. Confessarius, ab aliquo rogatus de peccato in Confessione audito, potest jurare, *se illud nescire*, subintelligens, ut *Ministrum Christi*, vel *ad manifestandum*, ut explicat S. Th. 2. 2. q. 75. 2. Reus aut testis, a Judice non legitime interrogatus, potest jurare, *se nescire crimen*, subintelligendo, *de quo illegitime possit inquiri*, vel *ad deponendum*. Ita communis TT. ex eodem D. Th. 2. 2. q. 69. a 1. Secus erit, si legitime interrogetur, quia tenetur justo Superioris præcepto parere. Idem dico in contractibus onerosis, quia utendo æquivocatione injuria fieret alteri. Ex dictis facile dirimes quæstiones alias particulares, quæ occurrere solent, & videri possunt apud Auctores.

27. Denique est animadvertendum cum Roncaglia, majorem requiri causam ad utendum æquivocatione cum juramento, quam sine illo. 2. cum Salm. eo majorem exigi causam, quo verba majorem præbeant errandi occasionem. Unde verba ita æquivoca, ut duplicem habeant sensum æque principalem, facilius possunt usurpari. 3. nunquam licere simulationem

propiam, ac formalem, qua quis per actionem externam intendit alium decipere, quia est verum mendacium facti, ut docet S. Th. 2. 2. q. 111. art. 1. *Simulatio* vero lata, & *materialis*, qua quis non intendit alterius deceptionem, sed finem alium honestum, licita est, cum adest justa causa, & ex circumstantiis finis agentis deprehendi potest, ut dictum est de restrictione non pure mentali. Sic Josue fugit ab urbe Hai, ut hostes inde abducerentur, & milites ipsius in eam irrumperent.

## CAPUT III.

## De obligatione Juramenti promissorii.

1. In juramento promissorio veritas duplex affirmatur: altera de præsentibus, & primaria: altera secundaria, & de futuro. Primo enim jurans asserit sese habere animum adimplendi, quod promittit; deinde asserit se impleturum suo tempore, quod promittit. Quam rem si Deo promittat, est votum cum juramento; si homini tantum, est jurata promissio humana; unde oritur obligatio implendi; si rationali modo possit.

2. *Quæst. 1.* Quale peccatum sit, & quo pacto obliget juramentum promissorium fictum? Nota, tripliciter potest quis fecte promittere cum juramento. 1. sine animo jurandi. 2. sine animo se obligandi. 3. sine animo implendi. R. igitur 1. Qui jurat *sine animo jurandi*, peccat, quidem cum illudat Divino testimonio. Et contrarium est damnatum ab Innoc. XI. prop. 25. dicente: *cum causa licitum est jurare sine animo*



jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis. Et quidem peccat graviter, si juret sine animo implendi promissionem; sic enim jurans Deum adducet in testimonium falsitatis, quæ gravis est in Deum irreverentia. Quid vero si jurat sine animo quidem jurandi, sed cum animo implendi promissum? Adhuc graviter peccare docent multi cum Suarez, esset enim mendacium in re gravi, & abusus Divini testimonii. Alii communissime volunt, solum esse peccatum veniale, cum non sit perjurium, & aliunde non videatur nisi levis in Deum irreverentia in eo, qui est in animo standi promissis; cum solum affirmet, se habere animum implendi promissum, & secundo loco se impleturum suo tempore, quod promissit. Vide Roncagliam, qui pro hac sententia multos adducit TT. qui tamen excipiunt contractus onerosos, & legitimum judicium, in quibus certo gravis peccati reus est jurans sine animo jurandi; cum sit deceptio gravis contra justitiam.

3. R. 2. Qui jurat sine animo se obligandi, sed cum animo implendi, peccat mortaliter, ut TT. communiter sentiunt cum S. Antonino, Sanchez, Navarro, & aliis; tum quia sic jurans falso significat, habere se animum se obligandi, quem non habet, tum quia videtur gravis irreverentia adducere Deum in testem, & nolle se testimonio ejus obstringi. Excusant alii a peccato lethali, quia sic jurans ex una parte non jurat falsum, & ex alia non habens voluntatem sese obligandi, re vera non jurat. Ita Elbel, Roncaglia de jur. c. 4.

4. R. 3. Qui jurat sine animo implendi, sed cum animo jurandi ac se obligandi, peccat mortaliter, quia re vera in eo juramento deficit veritas. Id quod certum est, sive materia sit parva sive magna, sive licita, sive illicita; vel si dubitat, an facturus sit, nec ne, quod jurat; vel putat sibi esse moraliter impossibile, ut impleat, quod promittit; semper enim est gravis Dei injuria, ipsum adducere in testem falsitatis.

5. Quæst. 2. An jurans cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi teneatur ad servandum juramentum? Prima sententia negat, tum quia tale juramentum est nullum, & invalidum, cum de ratione juramenti sit inducere obligationem Religionis; tum quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi juxta mentem jurantium ex c. *humanæ aures* q. 5. ubi dicitur: *Divina judicia talia foris nostra verba audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Ita S. Anton. Bonav. & D. Thomas, qui 2. 2. q. 89. a. 3. ait: *si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis.* Nec vero dolum adhibere dicitur (inquit Elbel) qui jurat alicui, nullum jus habenti ex justitia ad rem promissam: Ita AA. primæ sententiæ. Sed alii multi cum Suarez, Lessio, Bonac. & Valentia contendunt, ita jurantem teneri ad servandum juramentum. Ratio est, quia ille vere, & proprie jurat; nequit enim a voluntate jurandi separare voluntatem sese obligandi ad implendam rem promissam, cum hæc obligatio oriatur ex natura ipsius juramenti, ne Deus adducatur in testem falsitatis. Atque hoc est discrimen inter votum,



& juramentum; nam in primo obligatio pendet ab intentione voventis; in 2. ex ipsa vi, & natura juramenti. Hæc ultima sententia est omnino tenenda.

6. *Quæst. 3.* An jurans sine animo implendi, sed cum animo jurandi, ac se obligandi, teneatur ad implendum promissum? R. affirmat. cum S. Antonino, Bonav. Suarez, qui contrariam opinionem vocat improbabilem. Ratio est, quia tunc viget natura, & obligatio juramenti, quæ secum affert obligationem standi promissis, adeoque infidelis est Deo, qui sine causa violat fidem promissionis. Quod etiam verum est, cum quis non vult se obligare ex vi promissionis; obligatur enim ex vi juramenti. Imo etiam si nihil cogitet de juramenti obligatione; hæc enim sequitur ipsam juramenti naturam; nec potest quis velle actionem aliquam, quin velit consequenter ipsius proprietates. Idem ajunt multi, etiamsi jurans ignoret obligationem juramenti; sed contradicunt Salmant., quia juramentum non obligat ultra mentem jurantis, sicut nec votum.

7. *Quæst. 4.* Quale sit peccatum non præstare rem licitam, juramento promissam? R. si res sit gravis, grave peccatum est in omnium sententia; cum hæc sit obligatio orta ex Religione, & ex præcepto colendi Deum, proindeque ejus violatio ex suo genere mortalis. Hinc Matt. 4. dicitur: *Reddes Domino juramenta tua.* Et c. 10. de jure jur. statuit Pontifex, Clericum ab Ecclesia removendum, eo quod non solverit pensionem, juramento promissam. Difficultas est

cum res, quæ juramento promittitur, levis est momenti, v. g. dare tenuem eleemosynam, punire prolem, nolle primum locum occupare, & similia. Eritne grave peccatum, hæc postea non servare?

8. Affirmant Toletus, Lessius, Val. & alii, quia jurans etiam in re levi. Deum in testem assumit, se facturum rem illam, nisi legitima causa excuset. Si ergo sine causa non facit, quantum est in se, facit Deum testem falsitatis. Atque ita sentire videtur D. Aug. 2. 2. q. 89. ajens, eum, qui invitus sub juramento compellitur ad aliquod promittendum, licet repetere in judicio postea possit, quod solvit, tenei tamen interim ad solvendum, quod promissit; quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare. Nihilominus S. Antoninus, Suarez, Navarrus, aliique permulti negant forte probabilius; quia in juramento promissorio non adducitur proprie Deus in testem (alioquin perjurium committeretur, etsi deinde promissio justa de causa non impleretur) sed tantum ut auctoritatem præbens promissioni, unde nascitur obligatio standi promissis; ut si quis aliquid promitteret coram principe, intendens, illius auctoritate firmare suam promissionem. Hinc dicunt, eum, qui postea non implet, quod promissit, non pejerare, quia perjurium solum fit, cum Deus assumitur in testimonium mendacii. Mendacium autem abest ab eo, qui jurans habuit voluntatem implendi rem, quam juravit: unde non implere promissionem non est mendacium, sed infidelitas, quæ gravis est, aut



levis secundum rationem rei promissæ. Sic etiam ajunt Salmant. cum S. Ant. & aliis, eum, qui juravit servare secretum, si postea non servet, haud graviter peccare, nisi inde oriatur grave proximi detrimentum.

9. *Quæst. 5.* Num obliget in conscientia juramentum metu extortum? Affirmant communior sententia cum S. Th. Suar. Lessio, nisi sit de re illicita. Constat ex jure Can. c. 6. & 8. de jur. ubi Alex. III. loquens de juramento, ex gravi, & injusto metu extorto, ait, *Non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Nec Ecclesia tale juramentum irritat, sicut votum. Verum qui sic juravit, potest relaxationem petere ab Episcopo, vel a quocumque habente auctoritatem juramenta commutandi. Et si solverit promissum, potest in judicio repetere, vel sibi clam juste compensare. De cetero illud est verum juramentum, unde oritur obligatio Religionis in foro conscientiæ.

10. *Quæst. 6.* An obliget juramentum errore, aut dolo extortum? Affirmo, si dolus, vel error versetur circa rei circumstantias accidentarias, nec magni momenti; nego autem, si versetur circa substantiam, ut v. g. si annulum te daturum alteri jures, putans esse ferreum, cum sit aureus, vel circa circumstantias magni momenti, quibus cognitis, non jurasses, *Suarez, Sanchez, alii.*

11. *Quæst. 7.* quibus casibus non obliget juramentum? R. 1. si juramentum sit de re illicita, vana, aut inutili, quia juramentum ne-

quit esse vinculum iniquitatis. Imo si res, quæ juratur, ex circumstantiis sit illicita, postea vero decursu temporis honesta fiat, juramentum non convalescit ex *reg. 18. juris in 6. 2.* si quid jurasti contra consilia Evangelica, v. g. non ingredi Religionem, non dare elemosynam, peccasti quidem jurando, sed non peccas non implendo. Excipe, nisi juramentum fiat in favorem tertii, cum promissio impleri postet sine peccato, ut promissio solvendi usuras, promissio facta meretrici; licet enim juramentum sit illicitum, promissio tamen est valida, & postquam illa rem suam præstitit, impleri potest sine culpa. Aliter se res habet, cum promissio est irrita a jure, quia tunc impletio esset illicita. Ideo non obligat juramentum metu extortum super professione, matrimonio, sponsalibus, renunciatione fori Ecclesiastici, si sit Clericus. Item super donatione a Clerico, vel a milite facta concubinæ ex *c. diligenti de foro Comp.* Utrum autem, si contractus sit irritus a jure in favorem tantum promittentium, tunc juramentum firmet contractum? affirmant alii, alii negant, utrique probabiliter.

12. R. 3. Juramenti obligatio desint, quoties jurans non potest moraliter implere rem promissam, aut saltem id præstare nequit sine magna difficultate non prævisa; quia in juramento, sicut & in promissione tacita intelligitur conditio: *si morali, & humano modo potuero.* Pariter juramentum non obligat promissorium, cum is, cui promittitur, non acceptat, vel remittit. Item cum res juramento promissa est no-



tabiliter mutata; hinc qui matrimonium Bertæ diviti, & pulchræ promisit, non tenetur juramento, si Bertæ incidit in magnam paupertatem, ac deformitatem. Denique juramentum promissorium eandem habet conditiones, eodemque modo explicandum est, ac promissio, cui annexus est; quia accessorium sequitur principale.

Hinc neque obligant juramentum, si quod rejurando promisisti, mutes in opus aliquod aperte melius, & Deo gratius. Excipe, si quid in commodum alterius jurasses; Deus enim non vult alium bono suo defraudari. Itaque si jurasti servire Ecclesiæ, vel Principi, non potes ingredi Religionem sine relaxatione; secus vero, si jurasti Titæ eam ducere; quia juramentum, sicut promissio matrimonii, inbibunt hac conditionem; nisi ingrediar Religionem. Juramento quoque non teneris, si res jurata facta sit postea inutilis ad finem tibi præfixum: ut si Pater juret filium punire, & deinde correctio censeatur minime profutura; & potiore jure si ex ea oriri possint turbæ, aut rixæ in familia. Excusantur quoque ab implendo juramento, qui jurant comminatorie ex ira, vel non serio, ut solent pueri. Item cum cessat omnino causa finalis juramenti promissorii, v. g. promisisti elemosinam pauperi, qui postea fit dives; jurasti non ingredi talem domum ad vitandum periculum, sed illud postea cessat; secus vero si cessat causa tantum impellens. Vide dicenda de voto.

14. *Quest. 7.* An juramentum, v. g. non ludendi, obliget ad abstinendum a ludo etiam

licito, & modicæ quantitatis? R. si juramentum sit factum non ludendi in genere, non obligat ad abstinendum a lusu moderato, & honesto. Quod si expresse jurasti, abstinere a ludo etiam honesto, & moderato, affirmandum est contra Navarrum, quia est actus majoris meriti privari omni ludo, etiam honesto, ad majorem perfectionem. In re tamen ista admittenda est quoque parvitas materiæ, quæ debet æstimari ex fine, & animo jurantis.

15. *Quest. 8.* An obliget juramentum factum contra prius juramentum? R. cum distinctione: si juramentum alteri opponitur *in actu jurandi*, puta, si jurasti non amplius jurare, & postea jures, v. g. jejunare, teneris jejunare; quia secundum juramentum est de materia licita, quamvis peccasti jurando. Quod si juramentum opponatur priori *in materia jurata*, secundum est nullum, cum versetur circa rem illicitam. Sic qui juravit matrimonium Cajæ, & postea jurat Titæ, huic nihil debet, etiamsi Caja remittat promissionem, quia promissio jurata facta Titæ nulla est, nec firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit *ex reg. jur. in. 6.* Nota denique, juramenta, quæ fieri solent de servandis statutis alicujus Collegii, vel Communitatis, obligare tantum ad ea servanda, quæ sunt in usu, & eo modo, quo usu sunt recepta. Sic etiam juramentum, quod Medici præstare solent de non visitandis infirmis, qui post tres dies peccata non confiteantur, solum obligat, ubi viget Constit. S. Pii V. & Innoc. XI.



## CAPUT IV.

De irritatione, dispensatione, commutatione,  
& remissione Juramenti.

16. *Quæst. 1.* Quis potest irritare juramentum? R. Superior omnis, maritus, aut dominus, qui possunt annullare suorum vota, possunt quoque irritare juramenta promissoria, facta in gratiam hominis, quotiescumque ipsam promissionem infirmare illis est concessum. Ratio est, quia tale juramentum, perinde ac promissio, imbibunt conditione: *Si is, cui materia, aut persona est subjecta, non contradicat.* S. Thom.

17. *Quæst. 2.* Quis potest dispensare in juramento? Superior, qui ordinariam habet potestatem dispensandi in votis. An autem possint dispensare, qui delegatam habent facultatem in votis dispensandi? disputant TT. Negans tamen sententia præferenda est in praxi, quum juxta stylum R. Curie privilegium in votis dispensandi distinguatur a privilegio dispensandi in juramento. Atque eadem est ratio circa commutationem.

18. *Quæst. 3.* Quinam possunt juramenta remittere, seu relaxare? R. juramentum, factum in favorem hominis, antequam acceptetur, non obligat, & revocari potest; sequitur enim naturam promissionis. Secus vero res habet, si promissio principaliter facta si Deo. Quod si promissio acceptata fuerit ab eo, in cujus gratiam est facta, is solum potest eam remittere, & condonare. Nec sine ejus consensu a Superio-

re relaxari potest, nisi in tribus casibus. 1. si materia & persona juramenti sit ei subjecta; unde Pontifex irritare potest juramenta circa Beneficia Ecclesiastica, Parentes juramenta impuberum, non vero puberum circa res ipsorum proprias; Tutores pupillorum, Superiores Religiosorum, Viri uxorum circa bona dotalia, Domini servorum. 2. si cedant in damnum commune. 3. si sit dolo, aut metu extortum juramentum.

19. *Quæst. 4.* An juramentum, factum in gratiam alterius, cesset ex sola ipsius remissione, si promissio principaliter facta sit Deo? Negant multi cum D. Thoma, nisi apposita sit conditio, *si ita videbitur ei, cui promittitur.* Affirmant Navarrus, Soto, Silvester, alique DD. quia licet promissio facta sit Deo, non est facta nisi dependenter a voluntate hominis, cui juramentum est, scilicet, *nisi ille remittat obligationem;* præcipue cum bonum cedit omnino in favorem hominis, ut si quis ex motivo pietatis offerat juratus eleemosynam pauperi, calicem Ecclesie, cet. Certum est, cessare obligationem quando promissio in ejus gratiam potissimum est facta, ut inter omnes convenit ex S. Th. 2. 2. q. 99. art. 9. ad 2.

## APPENDIX

## De adjuratione.

20. *Quæst. 1.* Quid est adjuratio, & quod duplex? R. est invocatio Dei, aut Sanctorum vel rerum Deo sacrarum, ad inducendum ali-